

Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 54

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Otto divina favente clementia rex. Noverit omnium fidelium nostrorum presentium scilicet et futurorum sagacitas, qualiter nos interventionibus Popponis Wirciburgensis ecclesiae episcopi obtemperantes cuidam fideli nostro Thiatgaz in proprium donavimus, quicquid Hunald hereditatis vel proprietatis habere videbatur in pago Hessiun in villis Wodahaet Sulzaha in comitatu Megenfridi comitis nec non et in pago Nahgowe in locis quibus vocentur Spiazcesheim, Treisae in comitatu Emichonis comitis, similiter et in pago qui dicitur Cuninghessundra in villa Waldhoffa in comitatu Hathoddi comitis, eo quod omnis hereditas et proprietas predicti Hunald nostrae regiae potestati in publico mallo iudicio scabineorum iure iudicata est. Nos vero eidem fideli nostro Thiatgaz prescriptam hereditatem prenominati Hunaldi cum omnibus appendiciis et adiacentiis suis ad illam iure legitimeque pertinentibus in proprium concessimus. Iussimus inde hoc presens preceptum conscribi, per quod volumus firmiterque iubemus, ut memoratus Thiatgaz de his omnibus nostro dono sibi in proprium concessis firmissimam teneat potestatem quicquid sibi exinde voluerit faciendi, manu propria firmatum et anuli nostri inpressione sigillatum. Signum domni Ottonis invictissimi regis. Liutulfus cancellarius advicem Brunonis archicancellarii recognovit. Data VI kal. mar. anno dominicae incarnationis DCCCCLX indictione III, anno vero regni piissimi regis Ottonis XXV; actum Wormacia civitate.